

rium foret, ad oculos cuilibet demonstrare possem, *Feuerlinum*, venerabilem illum praceptorum meum, plane abhorrere a Papatu, (tamquam a caetu, qui merita Christi aspernatur) illiusque dogmatibus, quae etiam occurunt in litteris *Pauli III.* Ad hunc amabilem me alegas praceptorum meum, meque manibus, pedibusque (vt ais) *in illius sententiam pergere* debere iubes; et sic omnia mea iam refutata credis.

Arguis hoc modo: (pace enim Tua sigillatim adpareat ratiocinatio) *Quicquid Feuerlinus docet, id Bertlingius debet pro vero habere; Jam Feuerlinus probat Pauli III. epistolam; Ergo etiam Bertlingius eam probare debet.* Naeui et vitia Tuae ratiocinationis vix patent clarius, quam factum est in hac formula, distincte ita proposita. Quonam enim fundamento innititur propositio? Certe non laedo gratitudinem optimo praceptorum, cuius imago in medullis haeret, debitam, si examen propositionis subeo, qua omnis Tua contra me nititur disputatio. Hanc propositionem falsam esse, ipse, si Tecum disputaret, amice *Feuerlinus* Te edoceretur esset, cognosceresque, si eum audires, a diserto hoc doctore discipulos sollerter moneri, ne placita praceptorum coeca obedientia sequantur. Quodnam enim vinculum notiones in hac propositione iungit? Commendasti, inquis, *Feuerlinum*, magno elogio ornasti, praceptorum appellasti; Hinc pedibus ire debes in illius sententiam. Num ergo, o *Quirine*, iurandum est in omnia et singula magistri verba? Num Tu omnia pro te habes, quae scripserunt illi, quibus olim iuuentus Tua formanda tradita fuit? Ast prouocas ad elogium. Nonne Ipse maximo elogio *Feuerlinum* ornasti? Nonne calculum adiicis elogio, quo Virum matavi? Nonne Ipse habes *Feuerlinum* pro viro meritissimo? nonne Ipse decus Academiae Georgiae Augustae eum adellas? nonne quis, qui omni rigore disputationis contra Te vti vellet, Te ad id adigere posset, vt omnia credere deberes, quae valde a Te laudatus *Feuerlinus* scripsit, et affirmare, Ecclesiam Romanam per indulgentias, propria merita, sanctorum cultum, monachales ordines, etc. detrimentum inferre merito Christi, Ecclesiam Romanam esse falsam, etc. quarum adsertionum plures, quam Tibi placent, in *Observationibus in Augustanam confessionem eruditissimi, et meritissimi Feuerlini* potes legere.

Sed accusas me, quod ad consensum *Feuerlini* prouocaui, illoque adsertionem meam firmare volui; et vt magis ea lectori persuaderetur, dicis, me *Feuerlini* verba, quibus Tecum consentit, *foedae dissimulationis criminis* (hoc urbano vteris vocabulo) omisisse. Ad consensum *Feuerlini* prouocare non potui. Quodnam enim robur dictis addidisse, si ego,